

654. Cum Aldus et Robortellus ediderint φιλόξεν' ἔστιν, levi mutatione legendum, φιλοξένη' ἔστιν. Hujus erroris similem non raro admisere librarii, nescii scilicet longam vocalem elidi non posse. Dederunt igitur γράμμ' ἔστι, χρεί' ἔστιν, Ἐρμ' ἔμπολαῖε, cum γραμμή' ἔστι, χρεία' ἔστιν, Ἐρμᾶ' ἔμπολαῖε debuerant. Fatendum est quidem Atticos hujusmodi nomina plerumque generum duorum communia facere. Non semper tamen hanc regulam servant veteres. Theognis in ipso initio; Ἄρτεμι θηροφόνη, quod imperite Brunckius mutavit; πολυξέναν Αἴγιναν dixit Pindarus Nem. III, 3. πολύξειναι νεάνιδες apud Athenæum XIII. p. 574. A.

Eumenid. 896. Πάσης ἀπήμον' οἰζύος· δέχου δὲ σύ. Attici semper οἰζύς dixerunt, non οἰζύς, οἰζυρός, non οἰζυρός; quod monuit Piersonus ad Mærin. Eodem modo dixerunt οἶς, οἶστος, Οἰκλής, Οἰλεύς, quanquam in vulgatis libris has voces sine punctis diæreseos haud temere offendes. Aldina vero Æschyli editio οἰζύος recte habet. In Euripide usque ad hunc diem semper editum est οἶστος, contra versus metrum, contra grammaticorum auctoritatem. (Vide ad Med. 634.)

Suppl. 800. Recte Aldus et Robortellus, νέφη δ' ὑδρηλά.

In fragmento legendum μέγ' ἔστ' ἴαμα, quomodo, quod mirere, correxit Grotius\*, Excerpt. p. 55.

Nunc ad Sophoclem veniamus. In primo loco nemo non videt, quam inconcinne istud ποτε ponatur, quam in pronunciando prorsus obscuretur. Cum vero nihil mendi in singulis verbis hæreat, cogi-

\* Correxit Grotius e Scaligeri emendatione.